


1552









IOANNIS PI
MIRANDVLÆ E
CONCORDIÆ
PRINCIPIS
ONITA Monita
AD
IOANNEM FRANCISC
PICVM MIRANDVLA
Concordiæ Comitem Illustriss.
Galeotti Pici fratris
sui filium.



MVSSIPONTI,
Apud SEBASTIANVM CRAMOI
Serenissimi DVCIS & Vniuersit.
Typographum Iuratum.

PHILOTHEO
LECTORI S.



VDE(Lector)&, *ſi te amas; ſi te habes aduenam; ſi cœleſtem patriam cogitas*: Aude hoſpes cõtemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. *Deo inquam, qui anguſtam vitæ portam meritis ſuis recluſit, verbo propalauit, exẽplo nos præceſsit, Imò & gratiâ ſuâ ſubleuatos per eã intrare cõpellit. Quid hinc reſilis delicate miles?* Ibi tot pueri & puellę, ibi iuuentus multa & omnis ætas: tu non poteris quod *Aug. 8. C. cap.*

isti & istæ? *Exempla vides: monita fortassis desideras. Perlegisti (opinor) oblatam tibi paucos ante annos sapientissimi Eucherij ad sapiẽtiam parænesim: prudenter. Monstratum ab eo callem tenuisti? feliciter. Vis & alium de medio sæculo viæ huiusce comitem ac ducem? habe tibi hodie, in omne tempus si placet, mirandum illum Mirandulanum Comitem, quem ex hoc libello, velut ex germanę prolis vultu facilè agnoueris. Hic enim ille est literatorum Princeps, Principum literatissimus Ioannes Picus, superioris æui lumen, naturæ miraculum, Italiæ ornamentum., Regum*

amor, Superûm deliciæ: cuius illustris nobilitas ingenio, fœlix ingenium doctrinæ, doctrina mirabilis mirabiliori tandem in virtutis stadio constantiæ palmam tribuit. Non est, mihi crede, non est vera sine virtute Sapientia: ad quam hic, vt nihil in eo fuit mediocre, sic post decursam breui omniũ quotquot sunt sciẽtiarum linguarumque, imò & sacrarum literarum encyclopædiam, ætate adhuc floridâ tricenarius, cætera præmaturus, annis aliquot ante obitum tanto amore ad extremum vsque spiritum exarsit, amorem vt non diceres, sed ignem, sed flammam, sed incendium. Te-

ſtis ille feruor, quo hæc olim animi ſui ſenſa clam alijs Nepoti ſuo aperuit. Opes quæ mihi reliquæ ſunt, abſolutis conſummatíſque elucubrationibus quibuſdã, egenis elargiar, & crucifixo munit⁹, exertis nudatiſq; pedib⁹ orbẽ peragrans, per caſtella, per vrbes Chriſtum prędicabo. *Teſtis pietas, quâ deinde, mutata nõnihil mente, religioſæ vitę conſilium ſuſcepit: quanquã huiuſce voti prorogationem purgante vallatus flammâ expiauit, qualis ipſe, paulò poſt quam exceſſiſſet è corpore, Religioſiſſimo viro apparuit, ingratum ſe erga vocantem Deum, in-*

gratum se fuisse ingeminans: Testis denique mors illa pre- tiosa in conspectu Domini *post hæredes scriptos Florentini ante quã, Xenodochij pauperes; post emissam fidei Christianę professionem, post sumptum sacræ Eucharistię Sacramẽtum; Alberto Pio, sororis filio, conanti mortis confinia reddere placabiliora, in hunc modum (vt nepotis eius verbis vtar) respondit.* Non illa duntaxat ratione pacari animum, nõ finem mortis cruciatibus poni: sed hac potissimũ, quia Dei sui offensis terminus iam poneretur, quoniã breuiusculum vitæ tempus

crebriores in Deum offensas non contenturum arbitraretur. Illud præterea pluribus ex Prædicatorium collegio probatissimis testibus, & ipsi Alberto reuelauit. Cœli Reginam ad se nocte aduentasse miro fragrãtem odore, membráque omnia febre contusa cõtractáque refouisse, séque morti ‡ omnino non cõcessurum promisisse. Hilari igitur placidóque ore in strato dum ægrotaret iacuisse eõpertum est, atque inter mortis aculeos quos sustinebat, quasi cœlos sibi patefactos cerneret, loqui solitum; salutan-

tésque omnes, & operam suam (vt moris est) pollicẽtes, blandissimo ab eo sermone & receptos, & exosculatos; ab seruis item omnibus, si cui molestus forte fuisset, ignosci sibi postulasse &c. *Per id verò temporis cùm ad plurimos varias, tùm has melioris notæ epistolas misit ad Ioannem Franciscum Picum Mirandulam, Concordiæ Comitẽ, suum illum ex fratre Nepotem, hæredem ingenij sui: ad quem postea cum super morte Patrui quidam, religiosus ęquè ac eloquens Theologus, in hæc verba scripsisset.* In occasu viri huius, passa sunt magnã

eclipſim ſtudia literarum, ſcientia rerum , integritas morum : erat enim (vt ſcis) in Patruo tuo ſic vitæ ſanctimoniæ coniūcta linguarum eruditio , & humanarum diuinarumque rerum cognitio , vt in vno eodémque homine viderer videre Hieronymum , & Auguſtinum reuixiſſe. *Ipſe nihilominus, quandiu hæc Patrui opuſcula geſſit in oculis , geſſit autem fere ſemper: non potuit animum inducere vt crederet extinctum eſſe penitus illum ſolem , cuius prænuntiam Auroram, iam inde ab ortu ſub luminis globo conſpicuam, aſcendiſſe de nata-*

litijs ædibus accepiſſet: hoc vere etiam in ſpeculo radijs eiuſdem repercuſſo expreſſam adeo imaginem peruideret. At de hoc opere & authore pluſquam ſatis, haud quidem ad eum illuſtrandum: Nam quis (inquit Marſilius Ficinus illi coæuus) addiderit Soli lumẽ? verùm vt tute, quiſquis es qui iſthæc legis, vnà intelligas, id quod clarius deinceps, tãtùm eſſe diſcriminis inter ſcire, & ſapere: quantùm à ſe diſſident vanitas, & veritas; quantóque feracior fuerit indoles, addam & literis excultior: tãtò ſæpe horridiꝰ vitijs ſylueſcere, niſi (quod monet Seneca) vitæ non ſcholæ diſ-

...as. Postremò, si me audis, iterum audi innominatum antea, sed quem satis ex verbis nosti magnum Augustinum, tibi etiamnum idem, quod olim ingenuo pariter ac ingenioso adolescenti Licentio, proponentem. Si calicem aureum inuenisses in terrâ, donares illum Ecclesiæ Dei: accepisti à Deo ingenium spiritaliter aureum, & ministras inde libidinibus? & in illo Satanę propinas teipsum? *Absit: magis adeo exple vas animi pellucidâ hac lymphâ purissimę Sophię, quę fiat in te* fons aquæ salientis in vitam æternam. *Nō te morabor diutius. haurias licet. Vale.*



EPISTOLA IOANNIS PICI MIRANDVLÆ AD IOANNEM FRANCISCVM MIRANDVLAM.

Ioannes Picus Mirandula Ioanni Francisco ex fratre nepoti ſalutem in eo qui eſt vera ſalus.

DISCEDENTI tibi à me plurimas ſtatim ad malum oblatas occaſiones quæ te perturbēt, & arrepto bene viuendi propoſito aduersētur, non eſt fili mi quod admireris, ſed neque quod doleas aut expaueſcas. Quantum illud

potius esset miraculum, si tibi vni inter mortales, sine sudore via pateret ad cœlū? quasi nunc primum & fallax mundus, & malus Dæmon esse desineret, aut quasi tu in carne adhuc non esses, quæ concupiscit aduersus spiritum, & (nisi saluti nostræ vigiles prospexerimus) Circęis ebrios poculis in prodigiosas brutorum species illecebrosa deformat. Sed & gaudendum tibi esse affirmat Iacobus scribens (*Gaudete fratres cum in tentationes varias incideritis*) nec immerito quidem: quæ enim spes gloriæ, si nulla

ſit ſpes victoriæ, aut victo-
rię locus quis eſſe poteſt, vbi
pugna non eſt? vocatur ad
coronam qui prouocatur
ad pugnam, atque ad eam
præſertim, in qua nemo
vinci poteſt inuitus; neque
alijs nobis, vt vincamus, vi-
ribus opus eſt, quam vt vin-
cere ipſi velimus.

Magna Chriſtiani felici-
tas, quoniam & in eius arbi-
trio poſita eſt victoria: &
omni vincentis voto, om-
nique expectatione maiora
futura ſunt præmia. Dic
quæſo fili chariſſime, eſtne
aliquid in hac vita ex his,
quorũ libido terrenas agi-

cat mentes, pro quo adipiſcendo non multi prius ſubeundi labores, multa indigna & miſera tolerãda ſint? Bene actum ſecum putat mercator, ſi poſt decennem nauigationẽ, poſt mille incommoda, mille vitæ diſcrimina, rem ſibi comparauerit paulo vberiorem. De militia ſæculi nihil eſt quod ad te ſcribam, cuius miſerias ipſa ſatis te docuit & docet experientia. In Principum gratia promerenda, in æqualium amicitijs conciliandis, in honoribus ambiendis, quæ moles moleſtiarum, quantum anxieta-

tis

tis, quantum ſit ſolicitudinis, ex te ego diſcere potius poſſum, quam te docere, qui meis libris, meo otiolo contentus, à pueris vſque intra fortunam viuere didici, & (quantum poſſum) apud me habitans, nihil extra me ipſum ſuſpiro vel ambio. Ergo terrena hęc caduca, incerta, vilia, & cum brutis quoque nobis communia, ſudantes etiam & anhelãtes vix cõſequemur: ad cœleſtia atq; diuina, quæ neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, neque cor cogitauit, sõniculoſi & dormientes, & propemodum inuiti

à dijs trahemur: quaſi ſine nobis aut Deus regnare, aut cœleſtes illi Ciues Beati eſſe non poſſint?

Profectò ſi terrena felicitas otioſis nobis compararetur, poſſet aliquis laborem detrectans, malle mundo ſeruire quam Deo. Sed ſi nihil minus quam in via Dei, imò longè magis in peccatorum via fatigamur, vnde illa vox damnatorum (*laſſati ſumus in via iniquitatis*) non poteſt non extremæ eſſe dementiæ, ibi nolle potius laborare, vbi à labore itur ad mercedem, quàm vbi à labore itur ad ſuppli-

cium. Mitto quanta ſit illa pax, quãtaque felicitas ani-mi, *nil conſcire ſibi, nullâ pal-leſcere culpâ :* quæ procul dubio voluptatibus omni-bus, quæ poſſideri vel op-tari poſſint in vita, longe præponderat. Quid enim optabile in voluptatibus mundi, quæ dum quærun-tur, fatigant; cum acqui-runtur, infatuant; cũ amit-tuntur, excruciant? Dubi-tas fili impiorũ mentes per-petuis curis non agitari? Verbum eſt Dei quod nec falli poteſt, nec fallere. *Cor impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt.* Nihil

enim illis eſt tutum, nihil pacatum, omnia metum, omnia curas intentant, omnia mortem. Hiſne igitur inuidebimus? Hos æmulabimur? & obliti propriæ dignitatis, obliti Patriæ, Patriſque Cœleſtis horum nos ipſi, cum liberi ſimus nati, vltrò mancipia faciemus? & vnà cum illis miſere viuẽtes morientes miſerius, miſerrimè tandẽ æternis ignibus affliglemur? *O Cœcas hominum mentes! ô pectora cœca!* Quis non videat, vel luce clarius, hæc omnia eſſe veritate veriora? nec tamen facimus quæ facienda eſſe co-

gnoſcimus : ſed hæremus adhuc, nequicquam cœno cupientes auellere plantam.

Occurrent tibi fili (ne dubita) in his præſertim locis, in quibus habitas, innumera ſingulis horis impedimenta, quæ te à propoſito bene viuendi deterreant, & niſi caueas agãt in præceps. Sed inter omnia exitialis illa eſt peſtis verſari inter eos, dies & noctes, quorum vita non ſolũ omni ex parte illecebra eſt peccati, ſed tota in expugnandâ virtute poſita, ſub imperatore Diabolo, ſub vexillis mortis, ſub ſtipendijs gehennæ militat

aduerſus cœlum, aduerſus Dominū, & aduerſus Chriſtum eius. Tu autem clama cum Propheta: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Hi ſunt enim quos tradidit Deus in paſsiones ignominię & in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non cōueniunt, plenos omni iniquitate, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate: detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſe-

ſericordia : qui cum iuſtitiã Dei quotidie videant, non intelligunt tamen, *quoniam qui talia agũt digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Tu igitur noli illis placere, quibus ipſa diſplicet virtus, ſed illud Apoſtoli tibi ſemper ſit ante oculos. O-*portet Deo magis placere quàm hominibus* : & illud. *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Inuadat te ſancta quædam ambitio, & dedigneris eos tibi vitæ eſſe magiſtros, qui te potius præceptore indigeant : longè

enim decẽtius vt ipſi tecum bene viuendo homines eſſe incipiant, quam vt tu velis per omiſſionem boni propoſiti cum illis turpiter obbruteſcere.

Tenet me, Deum teſtor, aliquando extaſis quaſi, & ſtupor quidam, cum mecum incipio ſtudia hominum, aut vt dixerim ſignificantius, meras inſanias neſcio an cogitare potius quã dolere, mirari an deplorare? Magna enim profectò inſania Euangelio non credere, cuius veritatẽ ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, Prodigia

probant, ratio confirmat, mundus teſtatur, Elementa loquuntur, Dæmones confitentur. Sed longè maior inſania ſi de Euangelij veritate non dubitas, viuere tamen quaſi de eius falſitate non dubitares. Nam ſi illa ſunt vera, difficillimum eſſe ingredi regnum cœlorum, quid cumulādis quotidie diuitijs inhiamus? & ſi illud eſt verum, quęrendam gloriam, non quæ ex hominibus ſed quæ ex Deo eſt, cur de Iudicijs hominum ſemper pēdemus? Deo placere nemo eſt qui curet. Et ſi firma in nobis eſt fides,

ſuturum aliquando, vt Dominus dicat. *Ite maledicti in ignem æternum:* & rurſus. *Venite benedicti, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.* Cur nihil minus aut timemus qnam gehennam, aut ſperamus quam regnũ Dei? Quid poſſumus aliud dicere quam multos eſſe nomine Chriſtianos ſed re pauciſſimos?

Tu verò fili contende intrare per anguſtam portam, nec quid multi agant attende: ſed quid agendum ipſa tibi naturæ lex, ipſa ratio, ipſe Deus oſtendet. Neque enim aut minor tua erit glo-

ria, ſi felix eris cum [illegible]petua
aut leuior pœna, [illegible]em,
eris cum multis. Erũ[illegible]
duo præcipuè præsẽtiſſima
tibi remedia aduerſus mun-
dum & Satanã, quibus quaſi
duabus alis de lacrymarum
valle, tolleris in altũ, Elee-
moſyna ſcilicet atq; oratio;
quid enim poſſumus ſine
auxilio Dei? aut quomodo
ille auxiliabitur nõ inuoca-
tus? Sed & inuocantem te
certè nõ audiet, qui inuocã-
tem prius pauperẽ non ex-
audiſti, neq; enim decet vt
te Deus hominẽ non contẽ-
nat, qui prius homo homi-
nẽ cõtempſiſti. Scriptũ eſt:

fuqua *mensura mensi fueritis,* *remetietur vobis:* & alibi. *Bea-ti misericordes, quoniam mise-ricordiam consequentur.*

Cùm autem te ad oratio-nem inuito, non ad eam in-uito, quæ in multiloquio eſt; ſed quæ in ſecreto men-tis receſſu, in penetralibus animi ipſo affectu loquitur Deo, & in lucidiſſima con-templationis tenebra men-tem Patri non præſentat modo, ſed vnit ineffabili-bus quibuſdã modis, quos ſoli norunt experti: nec cu-ro quam longa ſit oratio, ſed quam efficax, quam ſit ardens, interrupta potius


ſuſpirijs, quam perpetua quadam ſerie dictionum, numeroque diffuſa. Si tua tibi ſalus eſt cordi; ſi tutus à diaboli laqueis, à mundi procellis, ab inimicorum inſidijs, ſi Deo gratus, ſi felix tandem eſſe deſideras, fac nulla prætereat dies, qua vel ſemel Deum tuum per orationem non adeas & proſtratus ante eum humili piæ mentis affectu, illud nõ de sũmis labris ſed de imis viſceribus clames cum propheta. *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, ſed ſecundum miſericordiam tuam memento mei prop-*

ter bonitatem tuam Domine.
Suggeret tibi cum ſpiritus qui interpellat pro nobis, tum ipſa neceſſitas ſingulis horis quid petas à Deo tuo. Suggeret & ſacra lectio, quam, vt omiſſis iam fabulis, nugiſq; Poëtarum, ſemper habeas in manibus etiã atque etiam rogo. Nihil Deo gratius, nihil tibi vtilius facere potes, quam ſi non ceſſaueris literas ſacras nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ. Latet enim in illis cœleſtis vis quædam viua, & efficax quæ legentis animum, ſi modo illas purè humilitérque tracta-

uerit, in diuinum amorem mirabili quadã pietate trãsformat.

Sed Epistolæ fines excessi trahente me ipsa materia, & mirâ quadam charitate, qua tecum semper, tum ex ea præsertim hora sum prosequutus, qua sanctissimi tui propositi factus sum certior. Illud postremò te admonitum velim, de quo hic etiam cum mecum eras, tecum sæpe loquutus sum, vt duo hęc nunquam obliuiscaris, & filium Dei pro te esse mortuum, & te quoque etiam si breui vixeris, esse moriturum. His quasi

ſtimulis altero quidem timoris, amoris altero, vrge equum tuum per breue ſtadium momentaneę vitæ ad præmia felicitatis æternæ, quando nullũ alium finem præfinire nobis aut debemus aut poſſumus, quam vt perpetua vtriuſque hominis pace infinito bono ſine fine fruamur. *Vale & Deum Time.*



ALTERA EIVSDEM

IOANNIS PICI MIRANDVLÆ, AD EVNDEM Epistola.



ELIX es fili quando non ſolum id tibi tribuit Deus vt bene viuas, ſed vt bene viuens à malis tamen ob id maxime, quia bene viuis, interim male audias. Æqua enim laus à laudatis laudari, & improbari ab improbis. Sed non propterea te felicem appello, quia hæc tibi calumnia glorioſa eſt, ſed quia Dominus IESVS qui

verax, imò ipſa veritas eſt, futurã affirmat mercedem noſtram copioſam in cœlis cum maledixerint nobis homines, & dixerint omne malum aduerſus nos, mentientes propter eum. Apoſtolica, ſi neſcis, hæc dignitas eſt, dignum haberi qui pro Euangelico nomine ab impijs infameris. Quando Apoſtolos legimus apud Lucam gaudentes à conſpectu abijſſe concilij, quia digni habiti eſsẽt, quibus pro nomine IESV contumelia irrogaretur.

Gaudeamus igitur & nos ſi tanta apud Deum gloria

digni ſumus, & eius gloria in ignominia noſtra manifeſtetur. Et ſi quid à mundo durum patimur ac moleſtum, dulciſſima illa Domini vox nos conſoletur. Si vos mũdus odio habet, ſcitote, quia priorem me vobis odio habuit. Si mundus illũ odio habuit per quem factus eſt mundus, nos viliſſimi honunciones, & ſi flagitia noſtra penſitemus, digniſſimi omnibus vſque adeo probris, ſi quis detrahat, ſi quis maledicat, ægrè feremus, vt ne ille maledicat, male agere ipſi incipiamus: Excipiamus hæc

potius maledicta, & si non ea felicitas nostra est, vt pro veritate, quemadmodum olim heroës nostri, verbera, vincula, carceres, gladios sustineamus, satis nobiscũ bene actum putemus, si vel conuitia hominum improborum, detractiones, odia, patiamur, ne omni nobis merendi occasione sublata, præmij etiam spes reliqua nulla sit.

Si bene viuentem te homines laudent, porrò virtus hæc tua quatenus quidem virtus est, similem te Christo facit, sed quatenus laudata est, facit dissimilem,

qui præmium ſuæ virtutis ab hominibus mortẽ crucis accepit, *propter quod & Deus*, vt inquit Apoſtolus, *exaltauit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Optabilius igitur crucifigi à mundo vt exalteris à Deo, quam exaltari à mundo vt iudiceris à Deo. Ille enim crucifigit ad vitam, hic exaltat ad gloriam, ille exaltat ad caſum, hic iudicat ad gehennam. Denique ſi tibi mundus applaudit, fieri vix poteſt, vt virtus quæ tota ſurſum erecta ſolũ Deum debet habere cui placeat, plaudenti ſe paulíſper ho-

minum gratiæ nõ inclinet,
& ſi de ſua etiam integritate
perdit, perdit tamen de prę-
mio, quod cum in terris in-
cipit perſolui, vbi omnia
ſunt exigua, minus erit in
cœlo vbi omnia ſunt im-
menſa. Felices contumeliæ
quæ nos tutos reddunt, ne
aut iuſtitiæ flos peſtifero
inanis gloriæ flatu marceſ-
cat, aut popularis rumuſcu-
li vano authoramento ęter-
nitatis ſtipendia nobis im-
minuantur. Amplectamur
fili has contumelias, & de
ſola ignominia crucis Do-
mini fideles ſerui ſanctiſſi-
ma ambitione ſuperbia-

mus. Prædicamus, inquit *P*aulus, Christum crucifixum, Hebræis quidẽ scandalum, Gẽtibus stultitiam, nobis autem Dei virtutem & sapientiam.

Sapientia ista mũdi stultitia est apud Deum, & stultitia Christi illa est quæ sapientiam vincit mundi, per quam placuit Deo saluos facere credentes. Si insanos eos esse non dubitas qui virtuti detrahunt tuæ, & Christianam vitam, hoc est, sapientiam insaniam vocant, cogita quanta tua esset insania, de insanorum iudicio à recte vitæ instituto dimo-

ueri, cũ error omnis emendatione tollendus, non imitatione augendus ſit. Hinniant illi, baubentur, allatrent; tu cœptum perge iter intrepidus, & de illorum nequitia atque miſeria quãtum ipſe debeas Deo perpende, qui ſedentem in vmbra mortis illuminauit, & de illorũ cœtu trãſlatũ, qui in denſiſſimis tenebris deuij huc illuc ſine luce bacchantur, filijs lucis aſſociauit. Sonet vox illa Domini ſuauiſſimis in auribus tuis sẽper, *ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu me ſequere.*

Mortui enim ſunt qui

Deo non viuunt, & in hoc temporariæ mortis ſpatio, laborioſiſſimè ſibi æternã mortẽ acquirunt. A quibus ſi petas quo tẽdant, quo ſua ſtudia, opera, curas referãt, quem denique finem ſibi prę́ſtituerint, in cuius adeptione felices futuri ſint, aut nihil omnino habebunt quod reſpondeant, aut pugnantia ſecum controuerſaque ſibi ipſis verba velut phanaticorũ delíramẽta loquentur. Neque enim ſciũt ipſimet quid agant, ſed more eorũ qui fluminibus innatant, malè importatæ cõſuetudinis vi, quaſi torren-

tis impetu feruntur, & hinc cæcante eos nequitia vnde ad malum Satana extimulante ruunt præcipites in omne facinus cæci duces cæcorum, donec improuiſa eos occupet mors, & dicatur eis? *amice hac nocte repetent animam tuam à te: hęc autem quę paraſti cuius erunt?* tunc his inuident quos deſpexerunt, laudant quos deriſerunt, & imitari eos vellent cum non poſſunt, quos dum poterant ſequi, perſequi maluerunt.

Obde igitur fili chariſſime auribus ceras, & quicquid dixerint, quicquid

ſenſerint homines de te pro nihilo habens, ſolum iudicium Dei ſpecta, qui reddet vnicuique ſecũdum opera ſua, in reuelatione ſua de cœlo cum Angelis virtutis ſuæ, in flamma ignis faciens vindictam in eos qui non nouerunt Deum, nec paruerunt Euangelio eius. *Qui pœnas*(vt ait Apoſtolus) *dabunt in interitu ęternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis & admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt.* Scriptum eſt: *nolite timere qui corpus poſſunt occidere, ſed qui animã poteſt mittere in ge-*

hennam. Quãto minus hi tibi timẽdi ſunt, qui nec corpori tuo poſsũt nocere, nec animæ, qui ſi nũc tibi detrahunt ex ratione viuẽdi, nihil detrahent minus ſi relicta virtute vitijs obruaris, non quia illis vitium diſplicet, ſed quia detrahendi vitium illis ſemper placet.

Fuge ſi tua ſalus tibi eſt cordi, fuge quantum potes eorum conſuetudinem, & ad teipſum rediens, ſæpe in abſcõdito ora clementiſſimum Patrem clamans cum Propheta. *Ad te Domine leuaui animam meã. Deus meus in te confido non erubeſcam, e-*

tiamſi irrideant me inimici mei, etenim vniuerſi qui ſperant in te non confundentur, confundantur iniqua agentes ſuperuacue. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS *Saluator meꝰ, & in te ſperabo tota die.*


Fac item cogites ſemper inſtantem mortem, & punctum ſcilicet eſſe quod viuimus, & adhuc pūcto minus, tum quam ſit malus antiquus hoſtis, qui nobis regna mundi promittit, vt nobis regna cœlorum eripiat, quam falſæ voluptates quæ ideo nos amplectūtur

vt ſtrágulent, quam doloſi honores, qui nos ſubblimãt vt deinde præcipitẽt, quam letales diuitiæ, quæ quanto nos magis paſcunt, tanto magis venenant, quam breue, incertum, vmbratile, falſum, imaginarium eſt omne illud quod hæc omnia ſimul etiamſi ex voto affluant nobis pręſtare poſſunt, quam magna his & promiſſa, & parata ſunt, qui contemptis præſentibus illam ſuſpirant patriá, cuius Rex diuinitas, cuius lex charitas, cuiꝰ modus æternitas.

His atque ſimilibus cogitationibus animum oc-

cupa, quę ſuſcitēt dormientem, tepeſcentem accendant, vacillantem confirment, & tendenti ad cœlum diuini amoris alas exhibeāt, vt cum ad nos veneris, quod magno omnes deſiderio expectamus, non ſolum quem volumus, ſed & qualem volumus te videamus. Vale & Deum ama, quem timere olim cœpiſti.





EIVSDEM IOANNIS PICI MIRANDVLÆ DVODECIM REGVLÆ PARTIM excitantes, partim dirigentes homines in ſpirituali pugna.

I.



SI homini videtur dura via virtutis, quia cõtinue oportet nos pugnare aduerſus carnem, & diabolũ & mundũ; recordetur quod quamcunque elegerit vitã, etiam iam ſecundum mundum, multa illi aduerſa, triſtia, incommoda, laborioſa patienda ſunt.

II.

Recordetur quod in rebus mũdi diutius pugnatur, & laboriosius, & infructuosius, in quibus labor est finis laboris, & tandem pœna æterna.

III.

Recordetur stultum esse credere ad cœlũ posse perueniri nisi per huiusmodi pugnam, sicut & caput nostrum Christus, non ascendit in cœlũ nisi per crucem: nec debet serui cõditio melior esse cõditione domini.

IV.

Recordetur non solum non esse ęgre ferendam hãc

ſed optandam, etiam ſi nul-
lum inde nobis præmium
perueniret, ſolum vt con-
formemur Chriſto Deo &
domino noſtro. E quoties
reſiſtendo alicui tentatio-
ni, alicui ex ſenſibus tuis
vim facis, cogita cuinam
parti crucis Chriſti confor-
mis reddaris, vt quum gulæ
reſiſtens, guſtum affligis, re-
cordare illum felle potatum
& aceto; quando manus re-
trahis à rapina alicuius rei
quæ tibi placet, cogita ma-
nus illius pro te ligno crucis
affixas. Et ſi reſiſtis ſuperbię,
recordare illum, cum in
forma Dei eſſet, pro te for-

mam ſerui accepiſſe, & humiliatum vſque ad mortem crucis: & cum de ira tẽtaris, recordare illum, qui Deus erat & omnium hominum iuſtiſſimus, cum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi, & conſpui, & flagellari, & opprobrijs omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendit, ſed patientiſſime omnia ferens, omnibus mãſuetiſſime reſpondebat: & ſic diſcurrendo per ſingula, inuenies nullam eſſe paſſionem, quæ te Chriſto aliqua ex parte

conformem non efficiat.

V.

Neque in vllo remedio humano cõfidas, ſed in ſola virtute IESV Chriſti qui dixit, Confidite, Ego vici mũdum: & alibi, princeps mũdi huius eijcitur foras, quare & nos ſola eius virtute confidamus, & mundum poſſe vincere, & diabolum ſuperare, & ideo debemus ſemper petere eius auxilium per orationem & ſanctorum ſuorum.

VI.

Recordare cum vnam viciſti tentationem, ſemper aliam eſſe expectandã, quia

diabolus ſemper circuit, quærẽs quem deuoret, quare oportet ſemper ſeruire in timore, & dicere cum propheta, ſuper cuſtodiã meam ſtabo.

VII.

Vt non ſolum non vincaris à diabolo cum te tentat, ſed vt vincas ipſum, & hoc eſt, quando non ſolum non peccas, ſed ex ea re vnde te tẽtauerat, occaſionem ſumis alicuius boni: vt ſi opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriã incidas, tu illud ſtatim non vt opus tuum, ſed vt beneficium Dei cogitans,

humilias te, & iudicas parum gratum te esse Deo de beneficijs eius.

VIII.

Vt quum pugnas, pugnes quasi vincendo, deinde perpetuam pacem habiturus; quia forte hoc tibi dabit Deus ex gratia sua & Diabolus amplius non redibit, confusus de tua victoria: Sed quum vicisti, geras te, quasi mox pugnaturus, vt in pugna semper victoriæ, & in victoria semper sis memor pugnæ.

IX.

Vt quamuis te sentias vndique bene munitum & pa-

ratum, ſemper tamē fugias occaſiones peccandi: quia vt dicit ſapiēs, qui amat periculum, peribit in illo.

X.

Vt in tētationibus ſemper in principio occurras, & allidas paruulos Babylonis ad petram, petra autem eſt Chriſtus, quia ſero medicina paratur.

XI.

Recordare quod licet in ipſo conflictu tentationis amara videatur pugna, tamen longe dulcius eſt vincere tentationem, quam ire ad peccatum ad quod te inclinat: & in hoc multi deci-

piuntur, quia non compa-
rant dulcedinem victoriæ
dulcedini peccati ſed com-
parant pugnam voluptati:
& tamen homo qui millies
expertus eſt, quid ſit cedere
tentationi, deberet ſemel
ſaltem experiri, quid ſit vin-
cere tentationem.

XII.

Propterea quod tentaris
ne credas te à Deo dereli-
ctum, aut Deo parum gra-
tum eſſe, aut parum iu-
ſtum & perfectum. Memor
ſis quod poſtquam Paulus
vidit diuinam eſſentiam,
patiebatur tẽtationem car-
nis: quia permittebat Deus,

eum tentari, ne de ſuperbia tẽtaretur: in quo etiam homo debet aduertere, quod Paulus qui erat vas electionis, & raptus vſque ad tertium cœlum, tamen erat in periculo ne de ſuis virtutibus ſuperbiret. Sicut ipſe dicit de ſe, ne magnitudo reuelationũ extolleret me, datus eſt mihi ſtimulus carnis qui me colaphizet. Quare ſuper omnes tentationes, homo debet maxime ſe munire cõtra tentationem ſuperbiæ, quia radix omnium malorũ ſuperbia eſt, contra quod vnicum remedium eſt cogitare ſemper,

quod Deus ſe humiliauit pro nobis vſq; ad crucem & mors nos vel inuitos Deuſque humiliabit, vt ſimus eſca vermium.





EIVSDEM

IOANNIS PICI MIRANDVLÆ.

Spiritualis pugnæ arma XII. Militi Christiano in promptu habenda.

Quibus placuit Anacreontica totidem metra ſubſcribere.

I.

VOLVPTAS BREVIS, ET EXIGVA.



IC, Chriſtiane miles,
Quid eſt in orbe toto
Leuius volãte flãmâ?
Breuius micante nube?
Fugacius fluento?
Velocius ſagittâ?
Magiſque inane bullâ?
Magiſque inane fumo?
Quid illud eſt? voluptas.

II.

COMITES FASTI-DIVM, ET ANXIETAS.

FErt ora pulchriora
Niue, lacte, flore, cocco:
Fert igne, ſole, ſtellis,
Oculos micantiores:
At tu labella bella,
Falsámque ſperne frontem:
Mihi crede, dulce ridet,
Dulce eſt tamen venenum:
Sapit ſuaue mellis
Mel felleum libido.

III.
IACTVRA MAIORIS BONI.

O Si tuæ ſalutis
(Examinata rarò)
Momenta ponderares.
Vnâque lance cœlum,
Humus alterâ maneret!
Mens corpus, hinc & illinc
Æquum petunt ſtateræ:
Semperne fluctuabit
Anceps vtrinque pondus.
O libra! libra fallax!
Componis aſtra terræ?
O gens iniqua mundi!
Præponis ima cœlo.

IV.

VITA SOMNVS ET VMBRA.

NEc eſt dies, nec eſt lux
Humana vita, nox eſt:
Caligo vita, vita
Sole ocyor diurno,
Obſcurior tenebris.
Vbi latuere reges?
Vbi principes, ducéſque
Quos longa vidit ætas?
Obdormiere ſomnum,
Euanuere ſpectra,
Nihilque præter vmbram
His de viris relictum.
Vtcunque viue, dormis:
Vita hæc imago vitæ,
Potius imago mortis:

V.

MORS INSTANS ET IMPROVISA.

PRætensa fila texis,
Mors tollet ordientem.
Multo paras labore
Gazas, opera, honores,
Nigræ trophea morti.
Pede pulsat omne limen,
Rapit vngue cuncta furuo:
Non cernis? illa primæ
Te destinat sagittæ.
Securus hîc quiescis?
Caue sis: manum reducit
Improuidum latente
Pertransitura telo.

VI.

SVSPICIO IMPOENITENTIÆ.

ADamantino rigore
Tibi cor ingraueſcit,
Tibi culpa iuncta culpæ
Mentem aſperat rebellem:
Quid? ſi imminente letho
Tunc aridus reſidat
Maris latex amari,
Ne fonte lachrymarum
Contrita molliantur
(Pulſo dolore) corda?

VII. ÆTER-

VII.

ÆTERNVM PRÆMIVM, ÆTERNA POENA.

CAduca, fluxa, vana,
Incerta, mente pelle:
Æterna, firma, vera,
Et certa, mente volue:
Seu te obsident pericla,
Seu te illicit voluptas:
Ne cede: vel dolori,
Vel inquinato amori.
Illum domus Polorum,
Styx hunc manet profunda:
Illîc futura merces,
Hîc pœna sempiterna.

VIII.

HOMINIS DIGNITAS ET NATVRA.

HOmo, ſate gente diuûm:
Homo, rex ſoli ſalíque:
Homo, fulgor vniuerſi:
Homo, particeps olympi:
Emerge de cloacâ,
Cœnóque fœditatis:
Agnoſce cuius hæres,
Cuius propago ſurgis,
Patriíſque natus aſtris
Sublimè tolle vultus:
Ne rectus ore, pronus
Animo graui deorſum
Tendas, homóque ceſſes
Latitare ſub figurâ.

IX.

PAX BONÆ MENTIS.

VIs fusiore luxu
Epularier superbè?
Vis tecta, vis lacunar
Regalis apparatus?
Vis floreant in horto
Vireta laurearum,
Fruteta cum rosetis,
Et alba lilieta?
Vis affluat voluptas?
Absit metus, dolorque?
Conuiuium perenne est,
Palatium est honoris,
Paradisus, est odoris,
Cumulúsque gaudiorum
Pacem fouere cordis,
Nec conscium dolosæ
Vllius esse culpæ.

X.

DEI BENEFICIA.

QVicunque fundit imbres
Prediuites amomi,
Et Balsami fluentis,
Et Nectaris Sabæi.
Myrrhæque thura iungit,
Casiamque, Cynnamumque:
Pretiosa dona fundit,
Dei minora donis.
Sol iste mentis ardet;
Animæque vita viuit;
Fontem hunc sitimus omnes;
Hunc aërem ciemus;
Hoc spiritu mouemur;
Hoc rore terra cordis
Grauidatur, & tepescit:
Quid reddis huic colono
Infructuosa tellus?

XI.
CRVX CHRISTI.

IAm non aquas perennes
De fontibus ſalutis:
Sed haurias cruorem
De fontibus doloris.
Si te caro laceſsit,
Si bella mundus infert,
Si vibrat arma dæmon:
Fuge Chriſtiane miles
Ad has Petræ cauernas:
Inde arma, ſcuta, tela
Reſperſa fonte ſacro,
Quibus fugentur hoſtes.
I nunc, cruciſque ductu
Inimica Tartarorum
Perrumpe caſtra; vinces
Signo merens ſub iſto.

XII.
TESTIMONIA MARTYRVM, ET EXEMPLA Sanctorum.

Metam vides laborum
Athleta? cerne palmas,
Et Martyrum trophæa,
Et Virginum corollas,
Et nobiles triumphos
Exercitus ſupremi.
Te vicerint puelli?
Te vicerint puellæ?
Age, ſurge, curre, vince,
Teneríſque trita plantis
Haud terreat palæſtra.
Non eſt ad aſtra cœli
Via plana, ſtrata flore.

LAVS DEO VQZ. MATRI.

COROLLARIVM.

ITe nefandi,
Quos tulit ætas
Nostra per orbem.
Dicite nullum
Posse iugales
Nectere pennas,
Queis pia virtus
Ingeniúmque
Sidera pacto
Fœdere pulsent.
Et tamen istis
Ocyor alis
Celsa volauit
PICVS ad astra.

FINIS.

